

ASSERTIONES THEOLOGICÆ 33. DE RESVR-

RECTIONE ET GLORIA CORPORVM FVTURA, DISPUTANDÆ
publicè in Theologorum schola s. die. Nouembris, Egregio liberalium artium Magistro, atq; Sacro San. Theologie Baccalaureo, &
uallis VV ympinensis laudatissimi collegij Canonico Ioanne Kuechelio Halprunnensi defensore.

Præside Doctore Hermanno Thyræo professore ordinario.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC GENEROSISSIMO PRIN-
cipi, & Domino, Domino Theodorico electo & confirmato Episcopo VVormatiensi, Principi & Mecenati
benignissimo. Ioannes Kuechelius Halprunnensis subditus humilimus. S. D.



Non inueniste neq; inleganter, Presul amplissime, antiqui patronam literarum artiumq; liberalium Mineruam armatam finixerunt, ei galeam, hastam, A Egidaq; horrificam, ut ait Poeta, attribuentes, in quo mysterio & enigmate significasse uidentur rem que ad nos adolescentes pertinet, qui literis operam damus. Nam cum uiderent homines sapientes absq; exercitatione ac ceu conflicitatione quapiam, que in disputationibus fieri solet, ueritatem elici & erui satis non posse, quippe que in altissimis tenebris abdita sit, sicut alia multa inuolucris & integumentis uelauerunt, ita hoc quoq; genus pugna quod in scholis exercentur, pulchra imagine depingendum putauerunt. Hæc itaq; causa est, quare conclusiones semel atq; it r m in Academia Ingolstadiensi mihi oblatas non defugerim, ac defendendas animo parato suscep- perim. Et has quidem de resurrectione tibi Presul dignissime dicandas eo nomine esse censui, quod Patronus & Meccenas studia mea, foveas, iuves, tucares, beneficijsq; & plurimis & maximis me exornes. Vos luerant quidem nonnulli animum tuum à me detractionibus alienorem efficere, uerum tu semel susceptum patrocinium in me iuuando deserere non uoluisti. Cum ergo hec & eiusmodi facias, equam est, ut quantum in me prouhendo adlaboras, tantum ego quoq; in te amando & obseruando emitar. Accipe igitur Presul amplissime hæc themata fronde benigna, meq; ut facis semper in tua tutela defensioneq; habere ne desist. Vale.

- 1 **F**iducia Christianorum in resurrectione carnis posita est, quam Sadducei olim uiuo Christo negauerunt, sed ijs suo gladio apud Matthæum iugulauit, dum ex lege Moysi quam in firmamentum sue sectæ producebant: à Domino conuincuntur.
- 2 Mortuo Christo & uiuentibus etiamnum Apostolis alij sci. Hymeneus & Phyletus primi Christianorum circa hanc heretici ipsam factam docuerunt, futuram negauerunt.
- 3 Postea etiam defunctis Apostolis alij non pauci eadem Zizania in ecclesijs Christi seminauerunt, carnis excitationem insistantes, quod putarent uni animæ beatitudinem ascribendam, caro nemq; tanquam indignam ab illius gloriæ participatione repellendam.
- 4 Verum non una ex causa, at ex multis, necessariò resurrectura caro conuincitur, scilicet ex propensione animæ separate ad suum corpus resumendum ex æquitate diuini iudicij, postremo ex congruentia membrorum ad caput Christum.
- 5 Naturale quippe desiderium anima inditum habet, ut corpori coniungatur, alioqui manca & imperfetta, dum à corpore sciuncta est, quam sciunctionem minimè opinandum Deum in nobilissima forma perpetuo permisurum.
- 6 Tum & à iustitia plane abhorret, absurdumq; est, ut anima iudicio sola sistatur, non statu carne, que consors illi in quamplurimis actis fuit.
- 7 Monstri insuper prodigijs instar fuerit, caput solum resurrectionis particeps esse, membris alijs ad interitum perpetuum adiudicatis & addictis.
- 8 Quam uim igitur habent in Matheo ee collectiones quas & ποδεῖξεις, græci uocant, eandem aut non multò sanè minorem heriocinationes è tribus ortæ capitibus ac fontibus obtinere uidebuntur.
- 9 Caro itaq; se recipiet in integrum, de corrupto in solidum, de casso in repletum, de inanito in ali- quid, redditibus ei undis & terris & uermibus & piscibus & feris aliibusq; & omnibus deniq; elementis quod de eius substantia depastum erit.
- 10 Non resurget autem anima que naturæ est immortalis, sed caro sola, que mortalis & mortua, ob quam etiam οὐνέδοχικώμενοι hominē scriptura resurrecturum dicunt à parte totum apostellantes. Neq; mouere quemquam debent uerba Iob(putas ne mortuus homo rursum uiuet?) & (homo cum dormierit non resurget) tanq; eo pertineant, ut resurrectio de medio sustollatur. Non ea mens est Prophetæ, sed longum tempus inter mortem & resurrectionem interstitum significat.
- 11 Cum ergo homo resurgat, si quid erit quod homo nunq; fuit, ut εὐεργοπ ante inditam animam rationalem in uentre matris interemptum, id in uitam non redibit.
- 12 Exempla autem huius uere consumataq; resurrectionis carnis, non nisi duo extane hactenus, nempe Domini nostri Iesu Christi, sicut de ipso prædicterant Prophetæ, & matris eius B. Mariae Virginis, Sicut nos docuit Ecclesia.
- 13 Neq; enim qui in passione Domini à Matthæo excitati referuntur, eo pacto surrexerunt, quin im- tumbris suis redditii sunt: & quicunq; alij, siue ab Elia & Eliseo, siue à Domino nostro Iesu Christo, siue ab Apostolis suscitati sunt: eodem modo rursum mortui sunt, Deo nimurum ita sciscient, ut resurrectione omnium tantisper in suspeso sit, dum numerus credentium compleatur.
- 14 Neq; tamen ideo cum Arabicis hereticis consentimus, qui quis corporibus suam gloriam non concedi ante tempus iudicij forte in scripturis didicerant, aut aliter sibi non falso persuaserant: puerauerunt animas etiam gloria sua tantisper carituras.
- 15 Liquido quippe eadem scripturæ manifestant, statim animas, si modo purgatione non egeant, ad celestem patriam, unde originem ducunt, reuolare, si egeant saltē ea facta. Quemadmo- dum contra quoq; improborum spiritus exemplo ad inferos puniendo deturbari.
- 16 Quarum animarum gloria nihil officit pronitas illa ad corpora sua, de qua paulo ané memorauimus tanq; ab ea retardentur, quo minus tota intentione in Deum rapianur: qua in re discedimus à quorundam Theologorum neq; uera neq; satis probabili sententia.
- 17 Iam cuiusmodi resurgentium corpora futura sint, partim à resurgentis Domini corpore discere licet: partim ab attestatiōibus diuinarum scripturarum.
- 18 Iustorum quidem agilia & expedita ad omnem motum erunt, multoq; agiliora quam auium, siue

- 19 Radiabunt, & Solis instar fulgia multa luce, incorruptibilia adhac immortaliaq; prorsum fusa- tura.
- 20 Sed & spiritualia fore Apostolus declarauit, hoc est, subsistentia uiuificantे gubernanteq; spiritu. Subtilia quoq; futura, ut nullo obice portarum, mirorumq; æneorum et ferreorum arceri que- ant, Dominici corporis exemplar non obscure demonstrauit.
- 21 Non quidem quod alia corpora sint resurrectura, ino prorsus eadem carne, osibusq; & nervis ijsdem coagmentata & uestita, Sed alijs tamen donis diuinitus exornata.
- 22 Quocirca qui dixere illa futura ærea et inuisibilia ac impalpabilia, meritó eu deliri explosi sunē.
- 23 Qui non intelligentes illud (Sunt sicut Angeli Dei in celo) & illud (Seminatur corpus ani- male, surget corpus spirituale) putauerunt naturam corporis conuertendam, cum similitudo Angelorum promittatur, non natura & spirituale corpus ibi sit dictum non spiritus.
- 24 Impiorum longè alia conditio, quorum neq; clara nec immortalia, sed neq; agilia aut subtilia cor- pora erunt: sed his ipsis contraria, tenebrosa uidelicet atq; opaca, mortijsq; secundæ & immor- tali (qua fiet ut semper moriantur, neq; unq; intereant) obnoxia, tam & pigræ ac tardæ, & forsitan ijsdem, quibus anteas cœditatibus insignia: illis scilicet, que integrati corporis humani nil adiunct.
- 25 De quorum sane resurrectione stilus sacer non ad unguem nos commonefacit, sollicitus in iu- storum suscitatione exponenda & exornanda, contentusq; illud dicere. Omnes quidem resur- genus, sed non omnes immutabimur. Quibus uerbis nihil aliud explicatur, quam pios qui- dem immutandos esse, impios autem absq; immutatione glorie suscitandos.
- 26 Et hoc quoq; commune omnium tam impiorum quam piorum in etate iuuenili, & in ea corporis constitutione resurgere, in qua Iudei Adam à Deo conditum putant: Sed & integri om- nes surgunt: ut neq; unguis neq; capilli ad ornamentum aliqui magis quam ad necessitatē à natura attributi ulli desint. Tempus quoq; uniuersorum resurrectionis idem erit, uidelicet et crepusculum ac primum mane, in quo etiam Dominus noster resurrexit.
- 27 Causa resurrectionis effectrix haud alia sane futura est, quam ea que mundi initio fuit crea- trix, id est, Sacra sancta Trinitas, Pater, Filius & Spiritus Sanctus, Deus trinus & unus, qui in termino seculorum prodigium hoc efficit, quo uix maius aliud aut mirabilius, in re presertim corporeæ perpetratum, aut perpetrandum cogitari posse uidetur.
- 28 Consors & particeps eiusdem beneficij, aliquatenus etiam creatura rationis expers erit, ut Apo- stolus Romanis scribens aperte docet, quod æquum sit homini, propter quem illa uanitati subiecta erat, in incorruptionem vindicato, ipsam quoq; eandem nunq; postea deponendam adipisci.
- 29 Sequitur ex his uerum esse quod à Theologis dici solet, resurrectionem mortuorum opus esse miraculū non naturæ. Quippe cum natura nullo pacto facere posset, ut à priuatione ad habi- tum sit recursus.
- 30 Iam hoc tam præstans præclarumq; beneficium, sicut & cetera hominibus promeruit Dominus & redemptor noster Iesus Christus, qui carnem indutus, ac mortem in ea passus, sibi pariter & alijs qui in ipsum credituri quandoq; essent, resurrectionem glorio- amq; corporis immortalem promeruit.
- 31 Quantum autem adhuc temporis ad hanc resurrectionem carnis reliquum sit, temerarium est definire. Non est uestrum (ait) nosse tempora.
- 32 Geminam resurrectionem scriptura sacra nobis ostendit, spiritus hanc, illam corporis (Venit ho- ra & nunc est, quando mortui audient uocem filij Dei, & qui audierint, uiuent &c.) & (Deus eos qui dormierunt per Iesum adducet cum eo.)
- 33 Proinde qui filij resurrectionis in die illo ultimo inueniri desiderant, sedulo dent operam, ut Dei gratia adiuuani & moueni dum in carne adhuc degunt, collaboreri & bonis operibus, ad que, dum de hoc mysterio scribit, suos Corinthios Apostolus exhortatur: quoad fieri potest insistere non desistant.

